

rum , dum viverent , familiam ducebant *Christophorus Valerius* , & *Joannes-Franciscus Muffatus* , alter florentis facundiae Senator , alter literariae dignitatis columen apud Patavinos .

(a) pag.
xxxvi.lin. II.

(a) Postremo cum aeger curis in Senatum praeses publici consilii venisset , ibique suborta , ut sit , in Curia acriori altercatione , semel atque iterum solito vehementius dixisset e suggestu , excandefacto per vocis , laterumque contentionem corpore , in iterum primum incidit , morbum candori pectoris ejus parum consentaneum : deinde intra paucos dies , succedente viuum defectu , sancte , & qua eum pietate in Deum decuit , vitae diem extremum clausit XIII. kalen. julii , anno M. DC. XVIII. devexa sane aetate , non negamus , neque ideo tamen tam praecipiti , ut in extrema , quod ajunt , tegula illi standum foret ; vixdum enim annum LX. expleverat , immortali senio , vel juventute potius dignissimus . (b) Corpore crasso magis , quam procero fuit , cervice leviter erecta , facie bene lata , dignitatis plena , oculis micantibus , laetisque , & qui animi mores praesferent ; barba , ac capillo , dum eis , per canitiem , sui coloris esse licuit , subrufo ; voce qualem futuro oratori rhetores prescribunt , clara , concioni pergrata , & phonasci opera minus indigente ; aspectu denique ita liberali , ut in eo morum probitatem facile agnosceres , ingenii vim non invitus crederes . Somnus ei fuit brevis , & vigiliis saepe intercisis : cibus paratu , concoctuque facilis : potus in dies multo intra heminam . Cultus , supellestilis , pecuniae contemptor extitit mirus ; & , si bibliothecae instruendae studium excipitur , nullius earum ferme rerum appetens , quibus mortalium mentes ad insaniam usque capiuntur . Inambulationibus , quoties a sedentario opere (sic munus senatorium vocabat) otium dabatur , ita oblectare animum solebat , ut Peripateticum germanum facile agnosceres . Harum socios habebat amicorum obvios , vir apprime comis , & cuius familiares virtutes , atque penetrales forensibus , ac senatoriis non impares humanitas infucata ita condiebat , ut philtri esset loco ad omnium sibi studia concilianda . Sermones erant tempestivi ex eorum genere , qui vel rimosis auribus tuto committuntur ; nam arcana rerum , quibus stat publica securitas , non ille sane aliter tegebat , quam olim sacra operantea solebant , qui Elenfinis mysteriis initiabantur . Theatralibus ludis , omniq[ue] spectaculoru[m] genere , etiam cum per aetatem licebat , obfirmato animo abstinuit non minus , quam Herculano sacrificio mulieres ; illud subinde repetens , sibi minime verendum esse , ne oblectamentum otio suo deforet , donec typographorum opere praela contorquerent ; aut amanuensis calamo , anagnosles lingua uti posset : ii enim , si quis feriatus inciderat dies , aut ab interventoribus omnino vacuus illi , scenici , ii circenses erant , nihil minus timenti , quam se sibi remotis arbitris relinqui .

(5) Elatus fuit funere privato , luctu publico , &c.) (6) virginali fert caput redi-

(5) *Elatus fuit funere privato , luctu publico , &c.)* Eadem legitio apud Jacobum Gaddium in *Elogiographo* , pag. 117. Fu pubblicamente pianto , benché sepoltò con esequie private , coronato il capo di laurea virginale , &c. Fu onorato di nobili eleggi dalli amici , infra i quali Monsignore Luigi Lollino , Vescovo di FELTRE , sodisfecit all' obbligo dell' amicizia con diverse Poesie , e col descrivere la Vita del rapito amico , con esemplare carità , e con eloquenza mirabile . Fallitur tanien hic Gaddius dum Lollinum FELTRENSEM episcopum pro Bellunense vocat , fortasse deceptus , vel quia Feltria est Belluno contermina ; vel quia Feltrensis & Bellunensis ecclesia aliquando ab uno regebantur Antistite .

(6) *virginali fert redimitus*) Mos est Venetiis , ut puellis puerisque , qui illibato aetatis flore decesserint , fert , dum efferruntur , tempora praecingantur , quod scilicet aureolam , qua in